



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

5. Ex fide, & ratione concordiaë præscientiæ cum futuri contingentis
libertate asserta, & propugnata.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

illud, & determinate potius, quam ad oppositum: negatur prima pars antecedentis. Ad cuius probationem nego causam directivam debere esse determinatam ad opus in agente libero, ut patet in nobis, si de determinatione determinante sit sermo. Quoad secundam de libertate distinguo: non est libera in se concedo eam partem: non est libera in causando primaria libertate fateor, secundaria à libertate voluntatis semper eius directionem determinantis nego: nec aliud verum asseritur in subsumpto, quod absolute falsum est. Nam causa contingentis, & liberi primario talis, potius debet esse indifferens ac non determinata adhuc libere.

6. Tertia denique solutio est: solum velle Patres præscientiam nudam, & secundum præscientie rationem solum, non esse causam rerum; esse tamen earum causam, ut ei adiungitur efficax contingentis futuri voluntas, ut aiebat S. Thom. loco recitato ex 1. p. sed primo percontor adversarios, de qua præscientia loquantur? an de ea quæ eiusmodi efficacem voluntatem dirigit? an de alia quæ ipsam supponat, nullamque proinde dirigit? Si de prima: illa utique præscientia, formaliter qua talis, de futuro non est, sed simplex scientia, nec futuri determinati potius quam non futuri; sed utrumque indifferenter representans, ac proinde egress voluntate, seu beneplacito diuino, ut ad futurum causandum determinetur, ut aiebant Doctores citati certam. 2. num. 2. fin autem de præscientia quæ decretum efficax de eius futuritione non dirigit, sed supponat, præscientia quidem, formaliter, qua talis, de futuro erit; sed non causa futuri: cum Dei voluntatem de illo efficiendo nullam dirigit, quo solummodo scientiam Dei causam rerum esse posse expresse S. Thom. 1. p. quest. 19. a. ad 4. *Scientia, & voluntas sunt causa eiusdem operis sed scientia ut dirigens, & voluntas ut operans: secundum: præscientia futuri hæc nullam Dei voluntatem efficacem dirigens, sed supponens illud causarum sufficienter, & adæquate supponit etiam: quare neque illud causat, imo neque causare potest ordinaria providentia à qua superflue causalitates adæquate exulare debent: imo, in plurium sententia ab, extraordinaria etiam, providentia, & potentia absoluta: si ergo tota causatio futuri à præsupposito decreto efficaci de illo est, perinde erit causari à præscientia, ut coniuncta cum decreto illo, ac si dicas à musca, ut coniuncta cum decreto, vel cum igne causari futurum, vel calorem; totam enim causalitatem futuri de suo ponit decretum: ac proinde, licet aliud quoddam ipsi adiunctum, seu, cui ipsum adiungatur, nihil agat, verum est posito utroque causari futurum; sed tamen non inde colligitur partitam esse inter utrumque futuri causationem. Similis igitur ea solutio, & propositio est illi, qua pauperissimi per iocum dicunt. Rex Hispaniarum, & ego triginta miliones aureorum, ex annuis redditibus habemus.*

7. Sed, inquit, præscientiam causare futura, non, ut directionem voluntatis, sed, ut imperium, quod mediat inter voluntatem efficacem operis, & eius executionem, representando voluntatem efficacem Dei de eius effectione; sed primo hunc modum causandi scientiæ S. Thomas doctissime ignoravit, quest. 14. art. 16. ad 1. dicens: *Scientiam Dei esse causam quorundam actuum; aliorum, quæ non sunt virtute. Præscientia vero eorum, quæ non sunt causa non est. Et ille plane est superfluum, cum solum Dei decretum sufficiat, ut ponat futurum: quod si absque eo imperio exequi illud Dei voluntas nequeat, per illud futurum, non ut futurum in actu, exercito, sed ut decretum, & ut volitum à Deo representabitur: quare non erit præscientia futuri in se existentis pro sua duratione; sed decreti præsentis Dei: ergo non præscientia formaliter talis de futuro in se pro sua duratione existentis, de qua disputatur: & sane imperium hoc præscientiæ de contingentis futuro non habet ad quem dirigitur, quod omni imperio repugnat. Non nostris aliis potentiis, nec rebus ipsis, quæ ratione, & voluntate carent; non Dei voluntati, ut futurum exequi ef-*

ficiat vellet, cum iam illud efficaciter prævoluerit fore: nec magis præstare possit, quam velle efficaciter, ut futurum sit, quod voluisset efficaciter supponitur. Denique, si præscientia siue, ut imperium, siue quouis modo causa futuri est præscientia Thomistica eius in æternitate ex æternitate superflue præsupposita, ut à Deo cognoscatur: si enim efficacia mea visionis facerem hic præsentem rem, quæ Martiri exiit, præsuppositio eius Martiri necessaria non esset, ut hic eam cognoscerem. Contra secundo: quia præfata testimonia negant absolute causari à præscientia futurum, falsa que essent, si aliquatenus adhuc inadæquate, causarent: causas enim secundas, & Deum causare effectus, quos videmus, negare absolute non possumus, sed omnino fatemur; cum tamen solum partialiter & inadæquate tam Deus, quam cause secundæ illos producant. Contra tertio: quia etsi præscientia non sola, sed, ut coniuncta cum decreto, causent infirmiter, & infallibiliter futura iam ex parte Dei dabitur causa antecedens, & determinans antecedenter ad vñm arbitrii nostri futurum contingens; ac proinde aqua est saluandi, & componendi eius libertatem, & contingentiam, quam vt componant Patres, negant præscientiæ in futurum causalitatem: ergo eam ipsi negant, siue nudæ, siue coniunctæ cum decreto.

CERTAMEN V.

Ex fide, & ratione concordia præscientiæ cum futuri contingentis libertate asserta, & propugnata.

1. **C**oncordem esse præscientiæ æternæ Dei infallibilitatem cum prædictorum libertate docuit Augustinus 5. de Civitate cap. 10. his verbis: *Nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere libertatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare prædictum futurorum; sed utrumque amplectimur: utrumque fideliter. & veraciter consistitur: illud, ut bene credamus: hoc, ut bene vivamus. Male autem vivitur si de Deo non bene creditur. Probatur facile Augustiniana hæc nostra, & communis conclusio; quia, licet simul, & coniunctim tota, & integra à scriptura sacra non tradatur; alit viraque illius pars seorsum traditur. Deum quippe futura nostra contingentia, & libera præscire multis locis supra recitatis, recitandisque ex scriptura constat. Eorum autem libertas ex 15. Eccles. Apposuit tibi aquam & ignem ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi: imo multis aliis locis, quibus & opera meritoria, ac demeritoria nostra, eorumque præmia, & supplicia à Deo præscita in scriptura dicuntur: ergo utrumque coniunctim, & Dei præscientia de contingentibus; & eorum libertas, quam meritum, ac demeriti ratio includit, continentur: cuiusmodi sunt plura Exod. 3. Sap. 19. & alibi sæpe: quare, & Conciliis omnibus, quibus, & Deus omniscius, ac proinde, & contingentium præscius, & nostrorum actionum libertas, atque bonus, & malus bonorum exiis Deo prænotus, vel formaliter, vel virtualiter asseritur, definita hæc veritas censenda est.*

2. Naturales concordie huius rationes omnes attigerunt Patres recitati. Prima sumitur ex principio apud eos omnes constanti, & hæcenus à nobis statuto, scilicet præscientiam, formaliter qua talem, non supponi ex parte causæ, & antecedenter ad futurum; sed potius illud iam futurum factum, & in se existens ac præsens

pro sua duratione supponere: etenim id solum obesse potest libertati & contingentie futuri, quod se tenet ex parte causæ ipsam decessum inans pro priori naturæ ad illud: inde enim præcise, quod causa cum omnibus, quæ in priori naturæ futurum præcedunt, indifferens, ac indeterminata ad illud sit, liberum, & contingentem erit: sed præscientia diuina, nullatenus supponitur ex parte causæ, ne dum determinat illam, pro priori naturæ ad futurum; sed potius illud supponit futurum, & in se existens & præsens in facto esse pro sua duratione: ergo præscientia diuina de futuro nequit obesse futuri contingentie & libertati. Confirmatur. Quia, quod rem supponit factam, & executam à suis causis nequit eius libertati officere, (vt patet de præfatio discursu), & exemplis visionis actionis liberæ causis, & scilicet, præsentis, & memorie de præteritis, quibus rem hanc Patres recitari, & S. Thom. frequentissime explicatur & confirmatur) ad Dei præscientiam supponit futurum in facto esse in se existens, & præsens pro sua duratione, vt videmus: ergo eius libertati non officit: quod rursus confirmatur ex coexistentia futuri toti æternitati indiuisibili Dei, qua solum Deus cognoscit, & iudicat, licet coexistentia illa sit futuri pro sua solum duratione, ac non ex æternitate, vti ad rem hanc Patres supra recitari discurrebant.

3. Secunda naturalis ratio fit: quia nulla scientia (præsertim infallibilis) potest esse destructiua sui obiecti: imo ex eo, quod infallibilis, & certa sit, constantiam sui obiecti à posteriori demonstrat: quia ex huius defectu scientie ipsius fallibilitas, quare & destructio conueniunt: atqui futurum contingens, & liberum non solum, quia futurum, sed, quia liberum, & contingens, siue, quia liberum, & contingentem etiam futurum, est obiectum præscientiæ æternæ, & infallibilis Dei, quæ ad omne verum se extendit: ergo præscientia Dei nequit eius futuritionem, aut contingentiam seu libertatem destruere: quin potius eam debet confirmare. Hoc argumentum dedit nobis Augustinus testimonio recitatis certam, 2. num. 5. ex 3. de liber. arbitrio c. 3. fine & 17. de Prædestinatio & gratia & 5. de Ciuit. c. 10. & suis Boetij 5. de consolatio. prola 6. post med. ita scribens: [sed si in mea potestate situm est mutare propositum quacuq; præcedentiam, cumque illa prænotat forte mutauero. Respondeo: propositum te quidem rum posse desistere: sed quoniam id te posse, & an facias quoc; conuersas præsens prouidentia veritas intuetur: diuinam te præscientiam non posse vitare: sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamuis te in varias actiones libera voluntate conuersas:] quos imitatur Patres alij certam, 2. & 3. recitati, & Anselm. de concord. præscient. c. 1. sub init. his verbis: [Nequaquam recte intelligenti hæc repugnare videntur: præscientia, quam sequitur necessitas, & libertas arbitri], à qua remouetur necessitas: quoniam, & necesse est, quod Deus præscit futurum esse: & Deus præscit aliquid aliud esse sine necessitate:] & S. Thom. 1. contr. gent. c. 67. rat. 6. libertatem futuri, cum præscientia ita probat: quia scientia Dei vera non esset, & perfecta si non hoc modo res euenirent. sicut Deus eas euenire cognoscit.

4. Tertia ratio naturalis concordie huius fit ab absurdo, quam nobis dedit etiam Augustinus 3. de lib. arb. c. 3. inter princip. & med. vbi eos, qui ex præscientia Dei de nostris liberis, & contingentibus futuris eorum libertatem possum ire credebant, ita ab absurdo redarguit: Nemo igitur caues, ne tibi dicatur, etiam ipsum (Deum) quæcumque futurum est non voluntate, sed necessitate facturum si omnia, quorum Deus præscit est necessitate fieri, non voluntate: etenim, si ex eo quod diuina scientia de obiecto contingentem fallibiliter nequeat contingentem cogniti libertatem, & contingentiam euerit: cum non minus fallibiliter nequeat Dei scientia de suis liberis decretis, quam præscientia de nostris liberis actibus (imo eo magis repugnare illud videtur, quo minus voluntate sua à sua scientia discordare, eique contradicere Deus potest) atque illa; imo vero potius, Dei decretis, quam hæc nostris necessitatem imponer. Quod si decretis Dei ex certa, & infallibili ipsorum scientia negent, vt debent, necessitatem induci: neque ex præscientia titulo certitudinis, & infallibilitatis eius nostris contingentibus necessitatem eorum libertati aduersam imponi fateantur necesse est. Nihil enim pro concordia scientiæ infallibilis diuinæ de

Christoph. de Origen, de Deo Vno. Tomus I.

suis liberis decretis cum horum libertate afferretur, quod non æque pro concordia præscientiæ de nostris cum eorum libertate addit: vnica siquidem concordie vtriusque ratio est: quod vtraque scientia contingens, exercitum, & in se libere positum ab arbitrio siue diuini, siue creati libertate supponat: ac proinde solum consequentem necessitatem ad libertatis vltim, & quæ à voluntate, & vltu libertatis prouenit supponat: nec aliam, quam contingentis cogniti, & exerciti positio inducit, quaque dum contingens est, necesse est esse, vt Patres, Philosophus, & Scholastici expresse docuerunt.

5. Nec mouere iam, nisi bardum quempiam, nimisque obtuse mentis hominem, potest præscientiæ nomen, quod diuinæ scientiæ respectu nostrorum ætuum liberorum, non autem respectu suorum decretorum, quæ scientiæ suæ coæta, siue coæterna, semperque, & pro semper coexistentia, & præsentia sunt, conuenit: ac proinde respectu illorum antecedentiam aliquam præstare, quam respectu horum eadem scientia non sonat: ea siquidem præcedentia, quam specialiter relate ad nostros liberos actus diuina scientia habet, ac nomine præscientiæ sonat, durationis est, quæque nec causæ libertati officit, neque ad effectus necessitatem conuocit, vt diximus: eandem quippe futuritio contingentis eiusdem respectu ipsius pro sua duratione apponendi, siue appositæ, & actu exerciti, & existentis importat, quin vltus quantumuis stupidi, sententia, imo suspitione, eius contingentia obstat, ac libertati. Adde præcedentiam illam, adhuc duratione, de intrinseca præscientiæ loquendo, falsam, & commentitiam esse: quia duratio, qua Deus cognoscit temporaria nostra, æternitas indiuisibilis, ac tota simul est, cui proinde cuncta sunt actu præsentia, ac proinde, vt recte aiebant Greg. Mag. recitatus cert. 2. num. vii. & S. Thom. recitatus cert. 3. num. 4. scientia potius, quam præscientia dicenda est: Deulque per illam scire potius quam præscire: etsi relate, non ad durationem intrinsecam, qua Dei scientia durat, quæque Deus temporaria hæc cognoscit, sed ad extrinsecam omnem possibilem seu imaginariam durationem, quam æternitas Deo eiusque scientiæ intrinseca, etiam redundanter, complectitur, & ambit, præscientia dicatur, & æternum creata omnia obiecta antecedens: ecquid autem magis extrinseca illa, ac pure denominatiua ab extrinseca illa duratione ac non entitatiua scientiæ diuinæ præcedentia adhuc durationis, obesse ita præscitorum libertati potest quam similis præcedentia extrinseca, ac pure denominatiua ab extrinseca duratione anteriori, futuritio eidem contingentem futuro officiat.

6. Concordia igitur hæc præscientiæ cum libertate præciti in eo præcise stat: quod, cum præscientia (licet certa, & infallibilis, atque, vt sic loquar, nulla potentia, nec creata, nec diuina fallibilis) futurum non causet: sed ab arbitrio voluntatis create causatum supponat, eius libertatem, siue suæ causæ in illo apponendo exercitium liberum, quod non antecedit, sed, qua futuri præscientia formaliter est, subsequitur: quin inde potius scientia Dei pro priori, quali naturæ ad extensionem representationis suæ ad futurum actu representationem qua formaliter præscientia illius est, impediri absolute à nostro arbitrio potuit ea absoluta potestate, qua illud pro priori ad futurum, quod pro posteriori ponit, appositionem, oppositum ponere absolute potest, vel eius appositionem omittit: quocirca etsi polita præscientia in sensuque composito illius non magis illam auferre arbitrium nostrum valeat, vel cum illa futurum, quod appositum negationem & omissionem, quam futuro appositum iam, ipsum omittit: vel illud ex suppositione, quod sit auferendo, vel coniungendo eiusdem negationem cum ipso: alit in sensu diuino, sicut absolute pro illo priori potuit eius negationem apponere, atque extremi impossibilis appositione impedire, ne esset, quando est: ita pro eodem priori impedire potuit, ne præscientia Dei, quæ, qua talis formaliter, illud pro sua duratione positum quasi causalitate vt terminatum, ac determinatum, & conditionem, siue qua non ad ipsum extendere supponit ex æternitate sua non esse, ac facere, ne Deus ab æterno futurum præscierit.

7. Porro ab hac solutione Molina, Ruiz, & Quiros nostri, licet aliquid fuerit humanæ equiuocationis in doctrina

eterna hac explicanda passi, tandem non recedunt: eo enim euadunt omnes postremi huius per circunciones varias conclusiones, & Ruiz in eo demum quiescit d. 33. sect. 2. num. 5. ubi explicata necessitate, & suppositione consequente: quod aliquo modo à libertate nostra pendat voluntatis Dei præscientia docet: quia, inquit, non poneretur in rerum natura talis suppositio, nisi præsupponendo fore, ut nostra voluntas se libere determinaret: quare, sicut voluntas absolute potest non se determinare ad talem actum: ita, absolute, & simpliciter loquendo, potest voluntas nostra efficere, ut nunquam fuerit in rerum natura talis suppositio: & n. 7. enumerat gradus necessitatis, & suppositionis eius consequentis, & in sensu composito, qui libertati contingentis non obest, in quoque gradu ponit necessitatem futuri contingentis ex præscientia: adhibitoque exemplo necessitatis consequentis cursus tui præsentis, ex eo, quod vere à me videatur, quod eius libertati, & contingentie non obest: quia illud libere appositum ea viro supponit: quare, & in tua potestate fuit impedire, ne ego viderem tuum cursum: quare nihilominus integra manet tibi potestas non currendi, quod si tuum esset ut pro tua libertate non curreres Deus ab æterno non præciperet tuum cursum: quid clarius, ut præscientiam Dei, qua talem formaliter impediri à præsentia mea libertate pro priori naturæ ad cursum liberum, & ipsam, ne ab æterno fuerit absolute, fateatur? Molina vero eadem distinctione necessitatis consequentis, & antecedentis libertatis ad hanc concordiam fuit in primis usus.

8. Sed tamen, tam hi Doctores, quam alij humanæ æquiuocationis aliquid sunt passi, cum hic ad præteritum dari potentiam absolute, ac sine vlla distinctione præsentis concordia clamant; alij vero admittendum esse, vel absolute & simpliciter ad eam concordiam tuendam modicus tenent. Alij vero docti Recentiores admittendam esse eiusmodi potentiam ad præteritum, saltem in præteritis, quæ connotant futurum contingens. Sed certe hi omnes non satis clare rem penetrarunt, aut explicarunt; cum tamen facile possent. Ad præteritum quippe, qua præteritum realiter formaliter, seu reduplicative, ut aiunt, siue non connotet, nulla potest nunc vllaue posteriori duratione dari potestas, ut non fuerit: quin ad duplex contradictorium coniungendum absolute. Præteritum enim realiter formaliter eius existentiam exercitiam, siue exercite positam in anteriori duratione includit, cum qua eius negatio pro illa duratione contradictorie decernat. Cæterum, licet ad præteritum, qua realiter formaliter præteritum, potentia nulla dari posteriori duratione valeat; ad præteritum tamen materialiter solum, seu specificatiue, ut aiunt, acceptum dari optime potest absolute potestas impediendi pro priori existentie suæ pro illa duratione, seu æternitate, ne pro illa fuerit: daturque de facto, quoties eius pro illa positio à contingentem futuro vero aliquo sensu dependet: quia illud connotat, & supponit, ut in præsentem contingit: unde constat concordia hac non admitti nunc de præsentem potentiam, ut præterita iam, & antea præscientia desinere esse, cum iam tunc esset præterita, & ex suppositione quod fuerit, quo solum pacto realiter formaliter præterita est, ac proinde ad proprie præteritum esset potentia repugnans; sed solum dari potentiam ad præteritum materialiter, ne tunc esset quando fuit, pro priori ad effundum tunc, ex quo præteritum est: ac proinde ad impediendum, ne tunc esset, ac nunc præterierit.

9. Hinc reliqua euanescent, quæ opponi solent: quales est illud quod iuniores Thomistæ inelamant; qui nequit tollere antecedens bonæ consequentia, nequit tollere consequens: est autem hæc bona consequentia, Deus scit Petrum peccaturum: ergo peccabit: cuiusque antecedens, nequit tolli à voluntate Petri: ergo nec suum peccatum poterit ab ea tolli: ac proinde necessario peccabit, cum ad peccandum requiratur libertas, quæ sine potestate tollendi peccatum, ac proinde consequens, non est in obiectantium sententia, vel admittere debent posse à Petro tolli antecedens; vel posse tolli consequens bonæ consequentia, quin tolli possit antecedens contra assumptum principium; sed certe, si proprietate sermonis, & verbi solo loquamur, totus syllogismus concedendus

est: quia tollere supponit positum, quod tollendum est, scilicet, & præscientiam, & peccatum quod ad ipsam supponitur: quibus positis neutrum potest vlla potentia auferri; sed inde tamen non inferitur non esse absolutam potentiam non peccandi, & faciendi, ut non fuerit præscientia quæ illud supponit. Hæc enim non est ad ea tollenda proprie, scilicet, semel posita; sed ad impedienda, vel non apponenda pro priori ad peccati, ac proinde præscientie ipsam subiectæ appositionem: si autem verbum tollere non corripere, & proprietate sumatur, sed, prout etiam significat impedire, vera est antecedentis maior; sed prioris falsa minor: inde etiam constat, cur nos certi simus de veritate futuri contingentis adeo præcisi & reuelati: quia, cum præscientia, & reuelatio supponant contingentis pro sua duratione existentiam, licet libere exercitiam, & appositam; & omne quod iam absolute est, vel erit pro sua duratione nulla potentia fieri possit, ut pro eadem non sit: nequit non esse futurum, quod fore reuelatur, ac præcitur: nemoque, non stupidus, ac infidelis de his, quæ fore reuelata sunt, potest, an futura sint dubitare, etiam sciat pro priori ad eorum appositionem pro illa duratione, non apponi potuisse.

10. Ad illud autem quod cert. 1. in ratione dubitandi subiungimus (nullam scilicet dari potentiam creatæ voluntatis, aut causæ ad agendum, vel impediendum effectum pro duratione qua ipsa non est: ac proinde, cum voluntas nostra tunc, cum Deus præcise eius actum futurum in tempore, nondum sit, nec posse eam vilo modo ponere, aut impedire: neque præscientiam vero, & realiter aliquo sensu à potestate voluntatis nunc in tempore primo existentis, ac sese exercitiam pendere) respondetur: verum quidem esse, quod assumitur de potentia actiua, aut impeditiua, vera quavis causalitate aut influxu, quæ à nulla causâ physica reali pro ea duratione pro qua non est potest exerceri; ac vero de oppositione, aut impeditiua obiectiua intentionalis terminatiui, aut determinatiui, seu tanquam conditionis, sine qua non obiecti, abique aliquo influxu in actum seu cognitionem, falsum omnino esse: ut patet in cognitione negationis existentie obiecti v.g. Antichristi, quæ nunc à Deo, & forte ab Angelis, & Beatis videtur, quin aliquid sit; & tamen ita ab ea Dei, aut Angelorum visio terminatur, determinatur, atque ab ea vero casu reali pendet, ut si non esset à nullo eorum videretur: in eum igitur modum præscientia contingentis ab huius pro sua duratione libera appositione pendet ex sua æternitate, qua concepta est: ac proinde à voluntate postea primum in tempore existentis, quæ ita libere in tempore illud apposit, ut non apponere poterit: ac proinde eius non appositione ex æternitate præscientiam impedire, ne ex illa appositæ esset, licet voluntas ipsa ex æternitate non fuerit.

11. Quod autem ex S. Thom. obicitur 1. p. q. 14. a. 1. ad 2. dicente: antecedens illud Deus scit hoc esse futurum est necessarium absolute, nec tamen sequi, ut quidam dicunt quod consequens sit necessarium absolute, nihil præfata concordia derogat, neque faret iuniorum Thomistarum doctrinæ de præcedentia, prioritate naturæ præscientie diuinæ ad futurum, cuius præscientia est, quia absolutam necessitatem futuri contingentis, & libertati aduersam inducat. Neque enim ait necessitatem illam esse absolutam simplicem, siue antecedentem respectu futuri; sed solum respectu Dei, quod est eius propositionis subiectum, & cuius omnis scientia de sese libere non est, sed determinata, saltem conditionate ad representandum verum quoduis, aut cognoscibile, si adsit: quare posito futuro contingenti non potest non illud representare, neque à se sed à futuro posita libertate voluntatis illud apponente determinatur, ut ad illud exercite representandum sese extendat. Respectu autem futuri contingentis, & voluntatis creatæ illud apposituræ non ait esse necessarium absolute simpliciter, seu antecedenter; sed consequenter, & ex suppositione libere appositionis futuri contingentis, quod præscientia supponit: quare bene è propria intentione negat consequens (quod admissum ab aliis refert) esse absolute necessarium: scilicet futurum esse futurum, quia voluntati creatæ, cui necessarium solummodo est, necessarium absolute non est, sed solum ex suppositione, quod libero exercitio voluntatis futurum apponatur: ac proinde, tam ipsa, quam præscientia illud supponens necessaria

necessaria voluntati solummodo ex suppositione, & consequenter sunt: unde subdit, *consequens necessarium esse, sicut antecedens*, scilicet consequenter respectu voluntatis creatæ, ita enim rationem subiungit: *quia, quod est, necesse est esse.*



QVÆSTIO IX.

An Deus cognoscat infinitum in actu?

QUÆSTIONEM, quæ, vel tota, ad Philosophiam, vel ad questionem de nomine deuoluenda tandem erit, aliorum exemplo potius, quam ex animo edisseram, supponit ex Philosophia, non dari in rebus infinitum categorematicum, siue in actu, id est rerum simul actu pro aliqua duratione existentium: si enim daretur, haud dubio, à Deo cognoscere, locumque questionis præfati non esset: supponit rursus dari in rebus infinitum syncategorematicum, siue in potentia: id est infinitarum rerum, siue successuarum, siue permanentium nunquam tamen simul coadiungendarum. Pater in Angelicæ durationis (ni tota simul & indiuisibilis sit) partibus: vel circa controuersiam in partibus durationis animi rationalis vique & vique sine termino successuris, & vtriusque cognitionibus, & affectibus per totam æternitatem succelline habendis, nunquamque simul coniungendis; vtriusque suppositi veritatem Philosophi tenent. Nos vero ex eorum hypothese id solum in præfati disputamus. An cum infinitas Angelicæ, vel animaticæ durationis à parte post æternæ successuras partes, actusque per illas ab ipsis exercendos Deus cognoscit, ut vere cognoscit, infinitum in actu cognoscat.

CERTAMEN I.

Ex doctorum placitis eligitur.

DOctores nonnulli censent earum rerum infinitam multitudinem, solum in potentia, & syncategorematicè infinitum cum omnibus reputant: quia vero, ut diuine substantie scientiæ, & cognitioni, simul tota illa cognoscitur, & representatur, Deum cognoscere infinitum in actu descendunt. Cæterum Doctores isti, & æquiuocatione maxima laborant, & errant, & questionis præfati non respondent. Primum patet, siquidem aliud est actu cognosci infinitum, *simultaneè*, & illud *actu* appellante supra cognitionem, quæ actu, & simul ex parte sui cuncta illa cognoscat, aliud vero appellante supra obiectum: primo enim modo sensus est actu cognosci à Deo infinitum; quod est infinitum in actu non sit verum est: nam actu cognoscitur. Secundo modo est sensus, cognoscitur infinitum, quod infinitum in actu sit etiam ut præcedit diuinam cognitionem, in quo scopus totus, & difficultatis, & questionis præfati positus est; non autem, an infinitum in actu, & simul sit extrinsecus, per extrinsecam denominationem ab actualitate, & simultate diuinæ cognitionis, quæ actu, simulque de tota multitudine habetur.

2. S. Thom. 1. p. q. 14. a. 12. & 1. cont. gent. vbi Ferrata S. Bonavent. in 1. d. 39. a. 1. q. 3. solut. argumentor. Richard. ibidem VValdensis tom. 1. lib. 1. a. 1. c. 14. Vaquez ad locum citatum primæ partis disput. 63. c. 2. Magister meus Magister Didacus Daza tract. manuscripto de scientia Dei d. 5. docent: Deum, dum infinitas partes durationis Angelicæ, & animaticæ à parte post successuras, atque infinitas, cum Angelis, tum animæ rationalis actus, per fluxuram æternitatem cognoscit, cognoscere ex parte obiecti infinitum in actu, & quidem sententia hæc nouis expensis, apud Cæteranum, & eius Asselas Thomistas ad

sui stabilitatem non egeret; si vera ipsorum sententia foret, de futurorum reali præsentia, & coexistentia ab æternitate Dei æternitate, quam fuisse confutabimus d. 6. q. 2. etenim in ea infinita illa successuarum per æternitatem durationum, & operationum multitudo ab æterno & in æternum tota coexistit, existeret actu simul, quin ita existeret actu simul, coexistereque debere ut à Deo cognoscatur, Thomistarum præfata sententia fert: quare non solum cognosci à Deo totam illam multitudinem infinitam in actu, sed neque aliter à Deo cognosci posse consequens, sententiæ illius conclusio est; sed, quod, nescio; an illius sententiæ Patroni satis attenderint: & quod eius sententiæ euerfione facile corrumpat. Ea propter noster Vaquez præfentem suam conclusionem rationi alteri imposuit, quam eius discipulus ingeniosissimus Daza luculenter, subtiliterque explanauit, ut in objectionibus mox patebit.

3. Durandus in 1. d. 39. q. 2. Almain. in 3. d. 14. q. 1. post primam conclusionem, Soarius noster tom. 1. in 3. p. d. 26. sect. 10. negant, dum cognoscit infinita illa per æternitatem successura cognoscere ex parte obiecti infinitum in actu, siue categorematicè infinitum, sed solum syncategorematicè, seu in potentia infinitum. Huic ego sententiæ in questione pure de nomine lubens subscribo; quia realius, propriiusque loquitur: etenim, si doctorum omnium, præcipue Philosophorum, communi sensui standum sit, nemo est, qui infinitum Categorematicum, siue in actu ex rebus infinitis, nunquam tamen simul coexistentibus, sed solum ex actu consistentibus aliquot, & aliis successuris componi affirmat: ac penes hoc tantum infinitum Syncategorematicum siue in potentia ab infinito categorematico, siue in actu Philosophi, & Theologi omnes discriminant: quod hoc totius multitudinis actualem simultaneam existentiam, seu coexistentiam dicat; scus illud: inde autem facili, & legitimo hoc discursu probatur conclusio. Obiecta diuinæ cognitionis, prout in actu primo ipsi proponuntur atque ex parte obiecti præcedunt, necdumque habent denominationem obiecti, & cogniti ab ipsa cognitione posterius obtingentem ipsis, sunt obiecta, ut re ipsa sunt: atqui multitudo illa rerum successuarum infinita in actu re ipsa non est: ergo multitudo earum, prout obiecta in actu primo diuinæ cognitioni, necdumque ab ea denominata, infinita in actu, & categorematicè in actu primo non est: quare nec Deus cum illam totam cognoscit infinitum in actu cognoscit.

4. Maior est certa: minor æque firma ex statuto illo Philosophico, & Theologico principio, ac definitione infiniti in actu, & tanquam indubitata admissa à nostro Vaquez cit. c. 2. nu. 4. & (ut opus esset) nullo negotio demonstrabilis, etenim multitudo durationum animi, aut Angelis, & operationum eius successiue plurium, & plurium infinite per æternitatem à parte post futurarum nusquam, nunquamque erit actu, & simul in se, & re ipsa existens infinita: ergo nusquam est infinita in actu, & categorematicè. Confirmatur tam minor eadem, quam commune illud principium, cui innititur: quia compositum in actu, nequit esse in actu quin omnes eius partes in actu sint, atque existant; alioqui compositum in actu non erit, atque insuper non existente anima, sed sola materia, erit homo in actu, ex eo, quod postea anima, eiusque ad materiam vnio sit extingua: unde nunc verum erit dicere: *Antichristus actu existit, siue est in actu*, quod est non solum absonum, sed præ falsitatis notorietate ridiculum; sed partes illæ omnes durationis Angelis, vel animi rationalis, eorumque actus per æternitatem successiue futuri, ex quibus infinita multitudo componitur nunquam simul in actu existunt, existentie: nec Deo simul in actu

extingua obicitur, representantur: ergo eiusmodi multitudo infinita ex eis omnibus composita non est infinitum in actu, siue categorematicum: nec tale esse à Deo cognoscitur.
